DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRI INTERMITTENTE OCULI LARVATA, SUB FORMA OPHTHALMITIDIS ADPARENTE.

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Jacobus Neuner,
Styrus Celeiensis,
Medicus castrensis.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Mensis Januarii anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.
(Währingergasse Nr. 275.)



Febris intermittens si phaenomena spectes, reliquis morbis est notior si constitutionem et causam, omnium ignotissimus.

Baglivii Prax. Med. L. I. C. 13.

OMNI AESTIMATIONE

DEGNISSIMO SPECTABILI AC DOCTISSIMO

DOMINO

MAXIMILIANO ANDREE,

JURISPRUDENTIAE DOCTORI.



VIRO

PROBITATE CLEMENTIA HUMANITATE

BENEVOLENTIA ET CANDORE

INSIGNI

FAUTORI SUO COLENDISSIMO

TENUE HOCCE ERUDITIONIS

SPECIMEN

IN

VENERATIONIS CULTUTQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

SACROS VULT

ET DEDICAT

devinctissimus

Auctor.

Conspectus naturae Febris intermittentis *).

Pathologi jam inde ab antiquitate ad nostra usque tempora definivere Febrim intermittentem esse eam, quae alternis vicibus accedat recedatque, nullo sui relicto ad sensum a discessu vestigio. „Quippe *Galenus* „*intermittentes, inquit, adpello, quaecunque ad sensi-* „*bilem infebricitationem perveniunt.*Haud secus *Boerhaa-* „*ve quae* (*Febres*) *per vices impetum remittunt, ut plena* „*apyrexia inter duos quosque paroxysmos intercedat,* „*vocantur intermittentes.*" Perinde *Oost, Schacht, Gaubius*, *Sauvages*, *Senac*, *Fr. Home*, *Coliny*, et alii.

Haec a typo febris, desumta definitio est et angusta et lata. Angusta est quia non omnes febres intermittentes, typum intermittentem observant, sed potius multae earum per longius tempus continuae sunt, et nonnisi in decursu ope naturae aut artis in febres cum liberis intervallis, traducuntur.

Hinc non tamen inficior, huncce febres intermittentes definiendi modum haud eum esse, qui e severis Logices legibus profluxerit; siquidem, ut ut solis conveniat intermittentibus, ad omnes neutiquam pertinet. Reperire enim est febres, quarum, tametsi ex intervallis accedant, non ante tamen accessio finitur una quam altera jam successit. Has nihilominus, quoniam natura sua a prioribus nuspiam diserepant, omnes, cum veteres, tum posteriorum aetatum Medici in nu-

*) Wenzeslai Trnka historia febrium intermittentium.

merum intermittentium retulere: cuusjmodi sunt simplices vel protractae nimium, vel multum anticipantes, atque eae, quas reduplicatas dicimus.

Quare etiam *van Swieten* febrim intermittentem definit: *intermittentem esse febrim, quae vel ante veram sui solutionem ad plenariam pervenit apyrexiam, vel continua quidem videtur, sed urinam lateritiam producit.*

Omnes praefatae definitiones sunt etiam latae, nam intermittentes etiam absque Febri occurrunt, hac ratione nomen morbi cum ejus charactere contradictorie sibi opposita sunt, quae contradictio partim in erronea antiquorum morbi denominatione, partim in defectu nominis convenientis, a recentioribus nondum substituti, omnes similes morbos comprehendentis, fundatur.

Argumenta, nequaquam systema vasorum, sed illud nervorum primarie et essentialiter in febribus intermittentibus adfectum esse, sunt sequentia.

1. Frequentissime videmus Febris intermittentes ab iis causis produci, quae immediate et praecipuae in systema gangliosum agunt; iis temporibus in quibus maximae mutationes planetam nostrum feriunt, tempore nempe aequinoctii vernalis et autumnalis, etiam coenaesthesis nostrae adparitiones maxime in oculos cadunt, et his plane temporibus tam facile intermittentes epidemicae et endemicae fiunt; miasmata, capitales inimici nostri systematis nervosi, sunt sic dicendo matres febrium intermittentium, praeprimis ea regionum paludosarum; acrimonia bilis, status pituitosus, usus tenacium et eorruptorum ciborum, potus gelidus, stagnationes in systemate venae portarum sunt, quia proxime inimice in plexum coeliacum agunt, frequentes causae, frequenter occurrentium intermittentium abdominalium. Pariter certis sub circumstantiis, animi pathemata quandoque intermittentem producunt, sopitam revocant, profligant, praesertim quae bilis commotio-

nem causant, ut terror, ira etc. *Swietenius* vidit sanissimam virginem, dum glire conspecto terrebatur, illico primum paroxysmum habuisse quartanae, quae dein tota hyeme mansit, verno tempore soluta feliciter: et *B. Tralles* prandium inquit, ceperat cum amicis in horto sub umbra arboris, frondes longe lateque extendentis, femina, sensibilioris animi, dum que cultro carnis assae frustulum dividere vult, discindit, quae foliis ex alto forte ceciderat, horridam aspectu erucam. Quamquam vero de hoc insperato ferculo nil degustasset; tamen adeo terrore et aversatione ejus commovebatur, ut altera die gravi paroxysmo febrili corriperetur, post unam calarem redeunte. Ita etiam a terrore inopinato conspecta epileptica, intermittentem febrim cum melancholia in virgine sana ortam retulit *Dan. Grüger.* Ex terrore quatranam in femina, in alia tertianam ex ira natam narrat *Etmüller.* E pudore, metui iraequae juncto, in puella nubili tertianam vidit *Riedlinus.* E gaudio juvenem quempiam tertiana correptum fuisse, binosque ejus paroxysmos sustinuisse narrat *Madai.* Sola narratione, qua ratione accessiones intermittentium contingant, attente audita, discipulus *W. B. Nebelii* sibi tertianam accersivit; quam ipsam cum alvi fluxu itidem ex imaginatione tantum ortam habet *Lotichius.* Actio vero animi pathematum prima praecipuaque, est in nervos: in hisce ergo illa mutationem inducere debent, intermittenti febri concipiendae idoneam, vel eidem profligandae.

2. Permulti morbi, qui sub nomine febrium intermittentium larvatarum intermittentibus adnumerantur, et nulla febris vestigia manifestant, e classe febrium intermittentium eliminari deberent, quamvis typus pathognomonicus cum liberis intervallis, eorum cum manifestis febribus intermittentibus regnatio uno eodemque tempore, nec non iisdem medicaminibus eorum

sanatio, stricto sensu characterem ceteris intermittentibus aequalem, probant. Tales sunt:

a. Febris intermittens lethargica, *Rayer* [1]), *Schönmetzler* [2]), *v. Senac* [3]), *Molitor* [4]), *Klärich* [5]).

b. Febris intermittens epileptica, *Hoffmann* [6]), *Scharschmidt* [7]), *Cruger* [8]), *Delius* [9]).

c. Febris intermittens tetanica, *Dodonsus* [10]), *Sachs* [11]).

d. Febris intermittens neuropathica *Wedel* [12]), *Stoerk* [13]).

e. Febris intermittens cum Chorea Sti viti et risu.

f. Febris intermittens cum Moria, rabie, et melancholia, *Ridlinus* [14]), *Senac* [15]), *Sumerie* [16]), *Sydenham* [17]).

g. Febris intermittens cum deliquis animi, *Toerdens.*

h. Febris intermittens nonnisi cum calore *Molitor.*

i. Febris intermittens cum sudore, *Schuster.*

k. Febris intermittens cum coecitate, *Molitor.*

---

1) Dec. 3. An. 3. p. 258.
2) Commerc. Norimb. 1740. p. 98.
3) De febr. record. natura. p. 97.
4) De Haller dissert. ad morb. hist. Tom. 5. p. 267.
5) Observ. med. pract. p. 4.
6) Operat. med.
7) Med. Nachrichten. 2. Th. S. 98.
8) Dec. 3. An. 2. p. 308.
9) Nova Acta. N. C. Tom. I. p. 103.
10) Observ. exempl. rara. p. 8.
11) Nova Acta N. C. Tom. I. p. 389.
12) Der k. k. A. der Naturforscher, 2. Th.
13) Annus med. p. 78.
14) Observ. med. p. 18.
15) De febr. recond. natura p. 96.
16) Reccuil periodique.
17) Opera med. Tom. I.

3. Si febrim in intermittente regulari contemplamur, illico diversitas ejus, ab aliis in systemata vasorum radicatis febribus, in conspectum venit, per sequentes circumstantias:

a. Jam prima ingruentis paroxysmi phaenomena docent, aliquid in systemata nervoso mutatum esse. Mobilissimis in genere nervosis infantibus convulsiones toties adsunt; et vidit *Swietenius* ingenii acumen auctum in singulis paroxysmis febris intermittentis: *Jos. Lanzoni* meminit mercatoris Ferrariensis, intermittente erratica laborantis cujus in accesione qualibet auditu privabatur; eundemque decedente febri rursum recuperabat. Ita *Timaeus* etiam in qualibet simili tertianae accessione amaurosin ingruere vidit.

Larvatae febres non paucae in unica saepe systematis nervosi laesione (e. c. paralysi, epilepsia etc.) consistunt vel hanc sibi haud raro adjunctam habent intermittentes manifestae.

Nimis intensus, plexui solari e regione obtinens algor, consuetim in nulla febri diutius durat quam in intermittente, imo saepe ad frigus marmoreum usque evehitur; et sua intensitate mortem adfert; quam eminens symptoma functionis nervorum!

In nonnullis casibus, paroxysmus vix horam explet; quantum jam discrimen si tempus durationis ejus, etiamsi nonnisi cum ephemera comparemus?

Paroxysmi alternant cum plena apyrexia; cui febrium immediate in systemate vasorum radicatarum, hoc symptoma competit? nam prout morbis systematis vasorum continuitas symptomatum propria est, sic eminent illi systematis nervosi praecipue autem systematis gangliosi, intervallis et defectu omnium symptomatum, statis temporibus.

In febri intermittente porro, aequalis et tam insignis nisus irritamentum morbosum eliminandi, praesens non

observatur, qui in febribus continuis obtinet, in quibus dies praesagientes et critici tam frequenter in oculos eadunt, et inter exacerbationes tantus obtinet nexus, ut ad certum nonnisi gradum evehantur, crises producant, et sic omnis ad judicationem febris symbolam conferat.

Absunt itaque, ni tales complicationes provocent, manifestae crises; nam etiamsi *van Swieten* sedimentum lateritium urinae, symptoma nunquam absens praedicavit, tamen multi eidem contradicunt; quod nec *Sydenham*, primus fere hujus urinae censor, nec ullus alius post illum asseruit. Unum id clarissimi quique viri affirmarunt, urinam lateritiam, siquidem adsit, signum esse nunquam fallens febris intermittentis gravioris; non vero, ubi non adest, inde intermittentem gravem abesse perinde. Sed observatores consulendi sunt. *Fr. J. Lautter* in gravi epidemia secunda, a se observata, nullam urinam lateritiam vidit; licet in primae epidemiae gravioribus paroxysmis eandem deprehenderit. *Chr. Weber* meminit apoplexiae tertianae gravissimae cum urina clara copiosa, quae non prius in lateritiam mutata est, quam ubi cortice peruviano aeger jam integra hebdomade usus a febri tam periculosa toto eo tempore immunis est factus. Eadem vero monuit jam *Huxham.* Quae cum ita sint, quid vetat, quin nos quoque ad normam *Büchneri* argumentemur in huncce modum: omnis intermittens vel mitior est, vel gravior; neutro vere in casu lateritia urina ut signum patho, gnomonicum statuenda est, cum non necessario adsit. In mitiore enim eam plerumquedesiderari, ipse *Büchnerus* dat: a graviore autem, quin gravissima etiam, eandem abesse posse e *Lautteri*, *Weberi* que experientia conficitur.

Sudor deest in multis paroxysmorum, in quibus frigus usque ad eorum terminationum duravit.

Adhae frigus, calor et sudor saepe inordinate intrant, non semper eodem ordine sese excipientes; adminimum omnibus febri terminata succedentibus excretionibus, praecipuum symptoma, morbum scilicet sufferre, deficit.

Tandem in multis intermittentibus febris evanescit, et aperti, regulariter reccurentes nervosi paroxysmi remanent; in aliis nonnisi praegressis aliquot paroxysmis nervosis, febris associatur.

Morbi pessimi systematis nervosi, ut epilepsia, paralysis etc., a superveniente febri intermittente plerumque radicitus exstirpantur et vicissim, ubi hi febri intermittenti rebelli superveniunt, eam fugant, qualem, casum refert *Berchelmann* de puella sexenni, ab intermittente rebelli per supervenientem violentum paroxysmum epilepticum liberata.

Primum variolarum stadium scenam suam in systemate nervoso ordiri, hodie satis convenit. Dum vero variolae ingruunt, si prius aeger intermittente detinebatur, hanc illae non raro vel omnino fugant, vel certo illo tempore quo miasma variolosum in nervos agit, sopiunt, ita ut finitis variolis intermittens postliminio redire visa sit.

In genere autem sunt febres in systemate vasorum radicatae acute decurrentes, aut si per annos trahuntur hecticae aut phtisicae, et febres, quae fere semper morte terminantur e contra febris in intermittente saepe annos aequat, quin organon aliquod aut vitam substrueret, aut sanationem impossibilem redderet.

b. Hysterica passio maximam cum intermittentibus habet analogiam, ambarum enim exacerbationes eodem se modo habent, ab horripilatione inchoant, in calorem transeunt, sudoreque finiuntur, et per singula

haec stadia urinas adeo similes videmus, ut ovo ovum simile magis non sit.

c. Remedia, febrium continuarum indicationibus vix unquam respondentia, victrices sunt frequentissimae intermittentium ut: Chinina, Arsenicum et praeparata Martialia; nec demum obliviscendum Chininam proprium sensum dolentem et adauctum calorem in scrobiculo cordis excitare, loco in quo plexus solaris haeret.

Evictum itaque est sedem primariam febris intermittentis in systemate nervoso, et praecipue in ganglioso systemate typo admodum addicto esse.

Si igitur contemplemur, systema nervosum omnibus vitae functionibus praeesse, facile explicari potest, quomodo pro diversitate dispositionis, causarum excitantium, et complicationum, omnis tempore paroxysmi obtinens incitatio, mox integrum systema vasorum, mox in singulis tantum partibus, in compassionem vocat, et tam febres quam inflammationes producit, mox miras mutationes secretionum provocat, mox motum musculorum adficit, Tetanum, Convulsiones et dolores causat, in genere autem omnem functionem in singulis organis turbat, et ideo tam diversam morbi imaginem offere valet, quae saepe in nullo alio congruunt, et nulla ratione detegi possunt, nisi medico omnia momenta coligente, ut:

1. *Typus*, seu periodus, i. e. mensura temporis ab accessionis primae initio ad initium accessionis secundae elapsi.

2. *Anni tempus*, quo frequentissimae grassantur.

3. *Mensura* durantis tum accessionis, tum integritatis.

4. *Complicatio* typorum.

5. *Extensio* morbi in corpore aegro dum aut universum, aut partem ejus tantum modo in accessione affligit.

6. *Habitus*, dum scilicet vel consuetis sibi symptomatis comparet, vel sub habitu morbi alius, febris se insinuat.

7. *Indoles* febris aut mitis utcunque, aut maligna.

8. *Causae* easdem in dato aegri corpore producentes.

Alia ex parte explicari potest, quomodo intermittentes singulorum organorum oriri possint, quum in omni organo nervi systematis gangliosi expanduntur, et in singulo coenaesthesis modificata adparet; proin etiam in oculo, et quidem eo magis quum ille tam nervis abundans organum sit, quod non modo cum sympathico per nervos proprios in proximo et immediato nexu existit, sed etiam proprio ganglioso, *corpore ciliari*, gaudet.

Experientiam testem consulentes, frequentia exempla intermittentium oculi inveniemus. Maximi momenti et valoris est illud, a meo docente, Magnifico ac celebeberrimo Domino Professore *Jaeger* observatum, qui certe tam justus judex quam etiam fide-lis naturae morbi observatur, non sine multis meritis, appellari meretur, sub forma ophthalmitidis, in qua, sub paroxysmo inflammatio, ad Pseudocrises, sanguinis, lymphae et puris formationem, ansam praebuit, omnibus inflammationis symptomatibus tempore apyrexiae repente et totaliter disparentibus.

Similem casum refert adnexa historia morbi, in quo inflammatio quidem nullas terminationes in oculo produxit, quod in formatione vesicularum, quibus semper paroxysmus judicabatur, fundatum esse videtur.

Quotidie observavit semel, ophthalmitidem periodicam *van Swieten*, in secus sano viro, stato tempore recurrentem. Primum ortus est dolor oculi, rubuit, lacrymavit et ex orbita protrudebatur. Haec sympto-

mata durarunt per aliquot horas, cum tanta vehementia, ut fere volutaretur, post illarum decursum omnia disparuerunt.

Diem intercullare observavit *Morton* in femina, cujus sinister nonnisi oculus patiebatur et inflammabatur, in alia autem femina in utroque oculo.

Omni anno semel vehementer verno tempore recurrentem ophthalmitidem observavit *Romel* in puella. Haec diem a nocte discernere non potuit, nullam lucem perferre valebat, nec objecta ante oculos servata agnovit. Hac inflammatione semper unus tantum oculus corripiebatur, exacte ad invicem alternantes, duravitque per quatuor hebdomadas.

Similem *Medicus* quoque vidit, sed haec nec tam intensa, nec tam] diuturna erat.

Pachionus adnotat de quodam Cardinali, similem periodicam ophthalmitidem, quae ei fere Epilepsiam adduxisset.

Senac similem] narrat casum.

Jam Hippocrates observavit coecitatem, quae mane exordiebatur, et nonnisi sub crepusculo sortiebatur finem ab eo Nictalopia nominata, quia hoc morbo gravati noctu nonnisi vident [1]).

Boerhaave hoc morborum genus quoque, statuit [2]).

Blancard refert, virum de die nihil vidisse, palpebrasque compressas servasse, dum autem ingruer et nox, visum optimum habuisse [3]).

Ledel narrat de puella, quae de die obscuro in loco mansit, faciei incubuit, sursum oculos attolere non valebat, absque esu et potu manens. Post occusum solis, assumtum ante hac deseruit situm, potuitque videre,

---

1) Oecon. Hippocr. pag. 435.
2) Boerhaave von den Augenkrankheiten.
3) Opera med. Tom. I. pag. 260.

legere, et ignem absque omni sensatione cernere. Hoc paroxysmo per trimestre quotidie vexabatur, dein sanata elapsa anno denuo eodem Haemeralopia malo gravabatur [1]).

Thymigius musicum fuisse tradidit, qui de die nihil, noctu autem bene videbat [2]).

Hahnemann observavit, tantum determinatis horis redeuntem obscuritatem oculorum in femina. Decima hora matutina in fronte insultibus arthriticis similibus correpta, dein nihil amplius legere potuit, characteribus adhuc semel tam magnis et fractis ei adparentibus [3]).

Hoffmann narrat de viro 57 annorum, illum posteaquam expergefactus fuisset et intra trihorium obcoecatem fuisse et nonnisi vesperi iterumvidisse [4]).

Heister sodalem sutoris refert, usque secundam pomeridianam optimo gavisum fuisse visu, expost autum nil laborare valebat [5]).

Stoerk sanavit virum, quotidie a 4—6 annorum horam coecitate laborantem, cetero tempore inturbata functione visus existente [6]).

Nyctalopia seu periodica nebula nocturna haud raro observatus est morbus, cujus jam *Paulus Aeginetta*, [7]) *Actuarius* [8]) *Galenus* [9]) *Plinius* [10]) et *Cel-*

---

1) Oct. 3. An. 5. pag. 108.
2) Krager Philosoph. nat.
3) Dec. 2. An. 5. pag. 234.
4) Opere tom. 4. peg. 234.
5) Medic. Wahrnehmung.
6) An. med. pag. 95.
7) Opera lib. 3.
8) Foesiv Oecon. Hipp.
9) Ibidem.
10) Hiss. nat. tom. 1. lib. 8.

sus [1]) exempla narrant. *Rost* [2]) hunc morbum epidemice, *Wurfbaein* [3]) endemice, et *Lentilius* [4]) tempore oppugnationis Philippoburgi grassantem observarunt. *Herrmann* paenes multos rusticos mense Julio, qui mane pristino gavisi sunt visu, Nyctalopiam observavit *Ovelgün* exemplum narrat in quadam familia haereditariae Nyctalopiae.

La Serre russicam puellam 18 annorum hoc morbo gravatam fuisse memoriae prodidit, eodemque quotanni mense Majo correpta, per tres mense, exactam fuisse [5]).

Vitus Ridlinus puerum 16 annorum [6]), *Paulini* feminam post puerperium [7]), *Plancard* virum 30 annorum [8]) observarunt.

Petrus Parham omni nocte visu destituebatur [9]) *Samuel Pye* [10]), *Fournier* [11]), *Pome* [12]), et *Medicus* [13]), plures hoc malo liberarunt.

Exempla, periodicae coecitatis, diu noctuque occurrentis plures referunt, sic *Ebersbach* rusticam puellam 20 annorum observavit, quae a 10mo aetatis anno Nyctalopia laboravit, subsequo autem tempore regularita omni mense una die nihil videbat [14]); idem

1) De medicina.
2) Breslauer Sammlung. Tom. 7. S. 320.
3) Dec. 2. An. 6. App.
4) Dec. 1. An. 3.
5) Dec. 2. Am. 6.
6) Observ. med. pag. 59.
7) Dec. 2. An. 6.
8) Opera med. Tom. 1. pag. 259.
9) Londner med. Bemerk. 1. Th.
10) Ibidem.
11) Reccuil period. Tom. 4.
12) Ibid. Tom. 5.
13) Medicus Geschichte period. Krankheiten S. 81.
14) Breslauer Sammlung 1725. S. 292.

feminam novisse narrant, medio aut integro mense visu orbatam [1]).

Lommius, Stoek, Pechlin, Medicus et Kramer similia narrant.

His omnibus subjungo historiam memoratu dignam, hactenus Vindobonae superstitis viri, qui a 21. Nov. 1832 usq. 1. Maji 1833 in Clinico Ophthalmuiatrico C. R. Academiae Josephinae sub anspiciis et directione celeberrimi Domini Professoris *Jäger* tractabatur, et intantum sanatus dimissus est, quod quidem paroxysmi semper adhuc mitiores redeant, majora adhae intervalla observantes, maximum autem aegri solatium est quod post omnem paroxysmum oculus sinister plene recuperet visum, et nullum objectivum symptoma morbosum tempore intervallorum observetur.

Historia

Febris intermittentis oculi larvatae.

Franciscus Hermannus Wilmi, Vindobonensis, triginta et unum annos natus, religionis Romano-Catholicae, temperamenti vividi et praevalentis constitutionis nervosae, scribam agens, sanis, hactenus superstitibus parentibus natus.

Primis vitae annis porigine vexabatur, qua decurrente tertio aetatis anno variolae quarum cicatrices hactenus visuntur, adparuere brevi post morbillis exceptae. Utrumquae exanthema decursum feliciter terminavit, porigine quoque quartum quintumve inter annum disparente.

Prospere nunc *Wilmi* fruebatur valetudine donec nonum aetatis attigisset annum, quo febri scarlatinosa, hydrope feliciter sanato terminante, corripiebatur.

---

1) Ibidem.

Ab hoc tempore excepta frequentiori coryza, et ab aegro vili pensa siccitate tracheae nil hilari ejus intercedebat vitae, usque ad exordium anni 22di, quo febri biliosa metastasi ad genu terminante, adgressus est.

Hirudines et cataplasmata emollientia, limitarunt inflammationem genu, balnea autem sulfurata usu interno Badensis et Carolinensis aquae copulata, liberoque Badensi aëre et hilari amicorum consortio suffulta, breve intra tempus pristinum valetudini robur restituere valebant.

Initium morbi praesentis.

Ab anno 1828 quo aegrotus Mineralogiae operam navabat, ideoque frequenter microscopia utebatur, morbum exorsum fuisse se autumat Myopia, quae ad concava perspicilla portanda eum coëgit.

Anno 1829 aestatem in pago Mödling transigenti somnia terribilia, oscillationem, lapsum, rixas, mentientia, quietum secus turbarunt somnum, his associabatur periodica Cephalea, photophobia, amor abscuritatis, et specialis sensus plenetudinis in oculo.

Salia antiphlogistica mitigarunt Cephaleam, quae appropinquante autumno magis adhuc remisit: ast frequentior coryza, siccitas narium et tracheae, succedebant.

Anno 1830 die 18a Januarii Cephalea denuo extullit caput, et posteaquam aeger tempore saltus publici die 25a Januarii refrigerium perpessus fuisset, tantae vehementiae erat, ut 29a Januarii 8va hora matutina lectum petere cogeretur; post trihorium universalibus horripilationibus correptus, ictu quasi electrico oculi facti, repente eo in gradu visu privabantur, ut nonnisi lucem a tenebris distinquere par fuissent. Cephalea continua, sitis, calor, ingens coenesthesis alteratio,

insignisque photophobia, fatis nectebantur symptomatibus. Objectivum symptomatum, excepta nimia in utroque oculi pupillae dilátatione, nullum tunc temporis observatum fuisse refert.

Venaesectiones, hirudines et sinapismi, in nexu cum salibus antiphlogisticis et evacuantibus, undecimo nonnisi die statum aegri quidquam levarunt, expansione iridis exigua, et objectorum externorum nebulosa perceptione sese manifestantem.

In hoc statu, Tartarus emeticus majori majorique dosi scopo nauseante, aegro propinabatur, quod tractamen, visum in tantum restituit ut die 1ª Aprilis magnos, singulatim positos characteres, distinguere potuisset, nihilominus tamen photophobia ut antehae perstitit, et aeger obscura semper petiit loca. Cephalea quoque rarius mitiorque recurrebat, antiphlogistica et derivante curandi methodo continuata.

Medius dum laberetur mensis Maji, quin aliquid causae excitantis nomine insignari potuisset, serena vigente tempestate, denuo cephalea vehemens rediit, aestu nimio frontis, imo febrili comitata, motu, nares, tracheaque exsiccabantur, in oculo dolor vehementer pungens ortus, cum insigni photophobia, dilatatione pupillae et visus abolitione.

Celeriter augebatur dolor, qui quum attigisset culmen, obscuro rubore et tumore palpebrarum comitabatur, in quibus brevi post caterva pustularum milium formam aemulantium comparuit, quae intra 24 horas confluxerunt, dein sensim exsiccantes et squamas formantes. Post eruptionem harum pustularum omnia symptomata morbosa mitiora facta, intra 4 dies maxima ex parte cessarunt, ita ut nonnisi dilatatio pupillae, photophobia et imminutio visus eo in gradu remaneret, ut aeger personas non amplius secundum lineamenta faciei, sed unice secundum vestitum destin-

guere potuisset, in genere autem, vix melius quam ad ambulandum necesse erat, vidisset.

Haec symptomata fato incedebant ordine, ita tamen ut culmen paroxysmi in octiduum et semper vesperi, prodromis una alterave die praecedentibus, caderet. Caeterum nec continuus antiphlogisticorum usus, nec alii influxus valebant paroxysmorum mutationem in modo aut typo producere.

Usus telescopii, dextrum, jam antehac debiliorem oculum, magis adhuc debilitavit, dum eum ad videndum nimis adstringeret, repente vehementem dolorem causando.

Die 22a Junii 1830 dum aeger tempore prodromorum idmodi paroxysmi ad Hitzing proficisceretur, faces funebres lumine suo tam inimice affecerunt oculos aegroti ut extemplo obcoecatus, domum reduci debuisset. Post quatuor dies paroxysmo consuetum absolvente decursum, visus quidquam restituebatur. Praeter jam nominata remedia, in hoc paroxysmo Calomel adhibebatur.

Per mensem vexare aegrotum desiere paroxysmi, sub finem Augusti reduces, majora intervalla observantes.

Suspicabatur quidem nunc febris intermittens oculi, at Chinina sine effectu exhibebatur.

Ab 11a Oct. exigua jam praeterea videndi facultas quum adhuc magis imminueretur, variis remediis ut: nuce vomica, belladonna, lactucario, opio, aliisque narcoticis, per trimestre vix aliquo cum levamine tractatus, paroxysmis continuo recurrentibus, timore coecitatis exagitabatur, donec 18a November 1832. Clarissimi Domini Professoris *Jäger* consilium expetiisset, qui eum 22da November objectum dignum observatione et tractatione agnoscendis ad clinicum Ophthalmoiatricum in C. R. Academia Josephina suscepit;

quo quum die eadem advenisset, sequentem offerebat contemplandam morbi imaginem.

Status praesens.

Investiganti offerebatur individuum macilentum, pallidum, nimis irritabile quod jam propria diuturni morbi narratione consternitur.

Somnus aegri, quamvis dum et quando} somniis vivacibus turbatur, tamen a potiori quietus est.

Exiguum prementem dolorem supra frontem persentit.

In oculo vestigia proxime perpessi paroxysmi cernuntur, flavo-rubro colore palpebris superioribus notatis, quarum cutis nonnullis squamis tecta et rugosa est, caeterum autem nec per se nec sub pressione dolorifica. Oculus est normaliter elasticus, nilque relate ad magnitudinem et structuram morbosi manifestat, cornea, omniaque media oculi necessario pelluciditatis gradu sunt instructa, attamen pupilla non modo fulgentem, sed plane fuliginosam nigredinem offert.

Utriusque oculi iris quo ad colorem et texturum haud mutata, tantopere est contracta ut nonnisi angustum annulum sistat. Relate ad, ejus functionem memorandum venit eam perstare, quamvis exigua, nonnisi expansio, lucis influxum sequatur.

Sensilitas erga lucem, normalem excedit gradum aeger obscuritatem praeligit, munitque manu oculum coram repente incidente aut intensa luce, et hac de causa coeruleis perspicillis utitur.

Adstantes personas dignoscere vix valet, omnia tamen objecta velata illi adparent, idque nonnisi in Centro, nam versus peripheriam objecti omnia mixta et obscura illi videntur.

Secretio lacrymarum in utroque oculo morbose imminuta, quare de siccitate oculorum conquaeritur.

Caeterum oculus, per adspectum, visum et motum, prout et per sensilitatem erga lucem probat, functionem ejus respectu visus suppressam, respectu autem sensibilitatis vitam ejus morbose adauctam esse.

Etiam coenesthesis oculi, excepta aucta sensilitate erga lucem, nec molesto sensu, nec dolore turbatur.

Nares sunt siccae, linqua paulisper humida, laete rubra et fissa; pariter continua laryngis et tracheae siccitas obtinet, tempore loquelae adaucta.

Sitis et adpetitus est normalis, digestio et alvi excretiones libere et absque turbis succedunt. Urina est straminea, quantitatis mediocris, cutis semper frigidiuscula, exiguo turgore provisa, nunquam sudans. Pulsus contractus, parvus, normaliter frequens.

Decursus.

29a November. Ager prodromos, recurrentis paroxysmi percipit, photophobia augetur, visus exorditur imminui; coenesthesis in oculo aucta, jungitur prementi dolori frontali, et formicatione palpebrarum.

30a November. Status hesternus obtinet, unice siccitate colli adaucta. In trachea, aeger sensum contractionis percipere refert.

1. 2. 3a December. Status, statui 30mo November similis locum habet. Medicaminibus assumtis aeger torminibus vexatur.

4a December vesperi persentit aeger ardorem palpebrarum cui dolor ardens in intimo bulbi adjungi exorsus est; sequente (die 5a December) sensilitas oculi erga lucem erat aucta, cephalea vehementior, frons calida, visus imminutus, jamque aeger exacerbationem vespertinam timebat.

Hora 5ta vespertina profundus oculi dolor fit vehementer pungens, a centro oculi versus centrum ce-

rebri furiosus; ad hujus continuo continentis doloris terribilem vehementiam tam ex descriptione, quam etiam ex mutata faciei aegroti concludere licet: pari cum eodem passu sensilitas erga lucem, ad summum photophobiae et photopsiae gradum evecta est; et quamvis aeger perpetuo calpebras clausas tenet tamen mare igneum ante oculos versatur, phaenomenon orientis solis aemulans.

Dolor et photopsia, minimo bulbi motu aut ejus levissima pressione augentur, cogentes aegrum tranquillum et immutatum situm in dorso observare.

Frons calido, comitatur in oculo constante increscente aestu.

Antehae pallido-rubrae palpebrae, nunc profunde rubro, splendenti, molli tumore notantur, qui quum pariter cum aliis symptomatibus digiti crassitiem aequaret,[1] circa mediam noctem obsitus quasi pustulis miliformibus, adparet; quo tempore sub exiguo lacrymarum fluxu remissio omnium symptomatum sequitur. Haec topica symptomata comitem habent nimiam coenesthesis alterationem, agrypniam et anxietatem, sitis est tantum modice aucta, nares, fauces et trachea sicciores, cutis modice calidior, quam secus aegro propria esse solet, attamen sicca, pulsus quidquam acceleratus, nimis contractus, duriusculus; urina pallida aquosa.

6ta December. Utraque spurco-fusca palpebra tumens, hodie innumeris tegitur pustulis quarum plurimae jam confluxerunt, aeger tentat reserare oculos, at nonnisi cum dolore, quamvis lectus velis circumdatus est, id perficere valet; exiguo lucis influxu oculos claudere coactus.

7a December. Hodie, tempore meridiano aeger lectum deseruit; pustullae omnes in squamas sunt exsiccatae, nihilominus tamen pallide-rubrae adparent;

oculos nonnisi a luce aversus aperire valet. Oculi fulgent, striae vasorum sanquiferorum permeant conjunctivam scleroticae, in interno autem angulo oculi lacteus mucus collectus cernitur. Iris est adeo contracta ut nonnisi angustus videatur anulus, visu perquam limitato existente.

Cutis, prout et interna superficies narium, oris et tracheae humido orbata sunt, extremitates sub attactu frigidae, adpetitus et alvi excretiones normales urina flava, quantitatis sat copiosae.

Diagnosis.

Decursum morbi, praecipue autem in omni paroxysmo adparentia symptomata contemplando, et hinc deducta diagnostica momenta cum causis occasionalibus, cum praegressis morbis, cum individuali et constitutionali relatione conferendo, patet:

1mo Pathognomonica et numerossisima symptomata morbi locum habere in organo visus; uterque quidem oculus eodem gravatur morbo, majori autem in gradu dexter patitur oculus.

2do Inter partes adfectas irridem, et nervi optici adparatum processui morboso insigniter implicitum esse.

3tio Respectu indolis, et modi in quo partes hae morbosae apparent symptomata objectiva structuram, texturam et colorem immutatum, ast functionum adparitionem in iis insigni modo turbatam ob oculos sistere.

4to Relate ad characterem hujus deviae functionum adparitionis, stadium paroxysmorum ab imperfecta apyrexia rite distinguendum esse; in priori dolor vehementer pungens, nimia sensilitas erga lucem, spontanea evolutio splendentis igneae lucis, rubor conjunctivae et adaucta secretio muci, aestus cum omnibus symptomatibus increscens, ad Ophthalmitidem concludere indigitant; in secundo autem nimis

contracta et erga lucis irritamentum parum reagens iris, fere ad Amaurosim imminutus visus, in nexu cum morbose aucta sensilitate erga lucem, non quidem deletam sed limitatam et suppressam functionem adpartus nervi optici et iridis, demonstrant.

5to Decursum morbi, in paroxysmis non modo continuam et memoratu dignam aequalitatem in modo, sed etiam, quamvis minus determinatam, tamen parum aberrantem, in tempore adparitionis observare, ita ut aeger tempus intervallorum et paroxysmi saepe verosimiliter, saepe certe determinare valeat, quod in ultimo etiam paroxysmo obtinuit; nec minori attentione dignum est maxime dolorifica, et plurimis symptomatibus dotata stadia morbi, semper quinta hora pomeridiana exordiri, et circa mediam noctem adipisci culmen; prout etiam quisque mirabitur, tempore paroxysmi descripta et semper Ophthalmitidem vehementem designantia symptomata, absque vestigio, sive tantum observentur, sive fortissimis antiphlogisticis adgrediantur, dispareant; absque cognita causa occasionali redeant; oculos per toties recurrentes paroxysmo haud quidquam novi cepisse damni, aut materialem subiisse mutationem, quum in omni substantiali genuina inflammatione eodem tempore etiam vegetatio aberrat; integrum systema vasorum nequaquam in eodem gradu et modo participare prout id in tanta oculi affectione expectandum esset, pulsus enim est nonnisi modice, vix perceptibiliter acceleratus, parvus et contractus, calor et sitis vix adaucta, urina limpida, aquosa.

Si autem e contra perpenditur, *periodicitatem* in nobis hactenus cognitis morborum formis praecipuam neurosium notam sistere; systema autem gangliosum praeprimis symptomata *typo* alligata producere valere; et ratio, in introductione de indole febrium intermit-

tentium dictorum, habetur, judicium rectum nos desumere opinamur, hunc tam eximio suo typico decursu ad classem febrium intermittentium inclinantem morbum, eo magis *Intermittentem oculi* nominare, quum adhaec oculus proprio gaudeat ganglioso apparatu, et tandem quum Pathologi intermittentem cephalicam, apoplecticam, epilepticam etc. necessitate coacti assumentes, suo exemplo nos ducant.

6to Huic diagnostico resultato, temperamentum, habitum et constitutionem aegri respondere, si modo respectus habeatur, irritabilis animi, contracti spastici pulsus, a potiore pallidae urinae, semper frigidarum extremitatum, gracilis macilentae staturae, quibus omnibus constitutio nervosa satis probatur.

7mo Eodem tempore affectionem membranae mucosae viarum respirationis et deglutitionis vigere, quod rubra, parum humida, fissa lingua, continuus sensus siccitatis, asperitatisque harum viarum, et defectus sputorum, testantur.

8mo Actionem causarum occasionalium, in dispositione constitntionali aegri et frequenter perpessa coryza, quaerendam esse; quum praecipue posteriori, quae a juventute aegrum saepe vexavit, apparatus nervorum qui in membrana mucosa expanduntur, par ratione, in consensum vocabantur, prout saepe per stagnationes et morbosos secretorios processus viscerum abdominalium febrim intermittentem abdominalem oriri videmus; si adhaec decursum nervi olfactorii, et immediatum transitum membranae narium mucosae in conjunctivam bulbi, hisque productum materialem et dynamicum nexum harum partium, nec non momenta, oculum partim vitae ratione, partim frequenti microscopiorum usu jam debilitatum et myopia gravatum exstitisse, contemplemur; explicari posset,

qua ratione post pridie perpessum refrigerium ante primum paroxysmorum, praesens evolvebatur morbus.

9. Nos morbum nomine *febris intermittentis oculi* insignire, et quidem, quum specialem offerat imaginem et consuetis febris intermittentis formis aliena symptomata producat, *larvatis* adnumerare. Erit proin denominatio morbi: *Intermittentis oculi larvata.*

Prognosis.

Quamvis saepe febres intermittentes felici cum successu tractantur ita, ut hae morborum formae, in- et per-se faustam prognosim admittant, tamen e contra negari nequit occurrere casus nimis pertinaces, omni tractandi methodo resistentes. Etiam in praesenti casu sequentes circumstantiae prognosi faustae ponendae obstaculo sunt:

a) Intervalla singulorum paroxysmorum absolute libera non sunt, sed constant, testante id nimis contracta iride, insigni Ambliopiae gradu magnaque sensilitate erga lucem.

b. Causae morbi in constitutione aegri, prout et in hactenus persistente passione membranae mucosae, alte radicantur.

c. Morbus jam triennium explevit, restititque fortiter diversissimis et fortissimis mediis, plane etiam victrici intermittentium Chinae.

d. Testatur pertinaciam morbi immutata aequalitas symptomatum per tam longum temporis tractum.

e. Tam diu continuato generosissimo apparatu antiphlogistico, prout etiam heroica narcoticorum actione, missis factis ceteris eo in organismo productis mutationibus, adminimum receptivitas erga medicamina obtundi debuisset.

f. Haud immerito suponere licet sublata feliciter morbo, proclivitatem insignem in recidivas, semper permansuram.

T h e r a p i a.

Indicationes sunt:

1. Causam, si possibile amovere, aut ejus noxium influxum praecavere.

2. Systema nervosum oculi, praecipue in ambitu nervi optici, et nodi ciliaris alterare.

3. Restituta feliciter valetudine, recidivas, in quas magna pronitas obtinet, praecavere.

Quod 1mum adtinet, quum causae excitantes jam cessavere et medicam respuant artem, eorum effectum nobis tractandum relinquentes; attamen cognito eo refrigerium exordium morbi fuisse, ab eo, tempore inprimis paroxysmorum, aeger tutus reddatur neccesse erit.

Causa disponens in nervosa aegri constitutione fundata peraeque tolli nequit, quum impossibile sit *nervosam* in aliam vertere constitutionem; possibile tamen, quamvis difficile, esse videtur eandem, justo omnium in corpus et animum influxuum regimine, emendare et in evolutione impedire. Ante omnia proin erit animum aegri pacare et spem recuperandae valetudinis erigere, nec non humano, praecipue autem condolente tractamine aegrum convincere, ejus reconvalescentiam nobis exoptatissimam esse nosque felicem sperare successum, nam fiducia in medicum non minus medicamine in aegrotum agit.

Deberet quidem aeger, strictae medicorum observationi ob vitium oculorum concreditus, in Clinico Ophthalmoiatrico morari, nihilominus tamen reficiens consortium amicorum et propinquorum nequaquam ei

inhibendum, sed plane quoties et tempestas et morbus admittit, eosdem invisere permittendum.

Omni serena amoenaque die sub dio ut versetur jubebatur; victus in frustulo carnis assatae sed eo majori quantitate fructuum coctorum constitit; pro potu aqua exhibita.

Respectu curae oculorum, coeruleis utatur perspicillis, moretur in, pro oculorum morbis gravatis destinato aptoque cubili, et dum nives albedine sua irritare oculos minantur intra parietes maneat, quin ab omnibus inhibeatur radiis lucis, imo amoene, naturali incitamento adficiantur oculi.

Indicatio 2da, disaesthesim systematis gangliosi tollere, in singulis organis exaltatam sensibilitatem imminuere, et unitatem atque harmoniam in adparitionibus ejus provocare jubet; praecipue autem haec indicatio respicit erga externos influxus nimis sensibilem, siccam, pallidamque cutem, prout etiam eodem in gradu siccam membranam mucosam viarum respirationis nec non photophobiam; adhaec functiones horum organorum ad normalem revocentur ordinem, et praecipua colatoria, cutis scilicet cum membrana mucosa, ex organismo evehendis substantiis reserantur, hac ratione enim materiae peccantes et processus morbosi ab organis centralibus versus peripheriam organismi derivabuntur; fato modo sensibilitate aequabiliter distributa et spastica tensione in nominatis organis soluta, sperare licet suppressam visus functionem liberatam, et oscilationes per turbatum aequilibrium systematis nervosi, qua paroxysmi in adparatu nervi optici sese manifestantes sublaturas iri.

Huic indicationi satisfaciet, systema gangliosum alterans et cutis atque membranae mucosae secretionem provehens, curandi methodus, quare in hoc casu Stipites Dulcamarae primum sibi locum vindicare vi-

dentur, quum status aegri, per trimestre jam frustra Chinina utentis, antequam specificis febrim adgrederemur cutis et membranarum mucosarum secretiones ad pristinum reducere vigorem, suadeat. Ordinavimus proin:

Rp. Stipitum Dulcamarae
unciam semis.
Infus. s. q. Aquae com. p. ¼ horae
Colaturae
unciarum octo
Adde:
Sacchari albi
drachmas duas
M. D. S.
Alle Stunden 2 Eßlöffel voll.

Ut autem immediate quoque membrana mucosa narium humectaretur et ad secretionem solicitaretur naribus trahendum exhibuimus:

Rp. Radicis Althaeae consc.
unciam semis.
Coq. c. s. q. Aquae com p. ½ hor.
Colaturae
unciarum sex
Adde:
Mannae electae
unciam unam.
M. D. S.
Öfters des Tages zu schnupfen.

Decursus morbi.

15 Xbr. Urina sedimentum deposuit vitro adhaerens, ceterum nulla morbi mutatione contingente.

16t Xbr. Palpebrae rubescebant et arserunt, lux magis adficiebat oculos, visus imminuebatur.

19ta Xbr. Quinta hora vespertina, posteaquam pro-

dromi intensiores facti fuissent, adparuerunt symptomata praecedenti paroxysmo quoad modum aequalia, sed intensiora, sequenti quoque die in culmine persistentia, donec noctu inter 20am et 21am optatus lacrymarum fluxus cum levamine et decremento omnium symptomatum intraret. Hic paroxysmus pariter ac praecedens numerosas eflorescere vesiculas sivit; urina erat pallida et aquosa, cutis turgore orba; pulsus parum acceleratus, contractus, parvus; pectus et abdomen omnimode liborum.

21ta Xbr. — 2. Jan. 1833. Dosim Dulcamarae pro die ad sex drachmas auximus; haec sub initium nauseam et vomitum provocavit, symptomata haud amplius redeuntia. Hoc tempore coryza per quinque dies durans, et auctam secretionem mucoso serosam per nares comitem habens, adparuit.

2ta Jan. postmeridiem prodromi, recurrentis paroxysmi, sensu ardoris in palpebris et eo gravitatis in oculis, sese manifestaruut.

4ta Jan. tempore meridiano palpebrae rubescebant.

5ta Jan. vesperi paroxysmus attigit culmen, qui hac vice, tumore praecipue palpebrarum inferiorum, nucem avelanam aequante, dolore vehementissimo, et summa pusilanimitate aegri, sortem suam acerbe deplorantis, eminuit; urina in hoc paroxysmo missa, erat copiosa.

6ta Jan. Ut consuetim decrementum sequebatur. Quum ut jam supra dictum, characterem morbi in speciali disaethesi vitae gangliosae sub forma intermittentis oculi, agnovimus et tam in photophobia et sensibilitate animi, quam in frigida et pallida cuti, contracto spastico pulsu, continua siccitate membranarum mucosarum, urina pallida, spasmum harum partium agnoscere licuisset, qui irritato, duriusculo pulsu comitatus qua erethismus nervosus manifestabatur, censuimus medium tale in usum vocare, cujus actio in alterando sy-

stemate ganglioso saepe jam opem tullit, imo etiam in intermittentibus cum successu adhibebatur, in scopo habentes hoc medicamine cutis et membranarum mucosarum secretionem promovere, organa spasmo constricta, ab eodem liberare, qui tam clare in omnibus hactenus obtinentibus paroxysmis sese manifestavit, sensibilitatem et irritabilitatem totius organismi et in specie illam oculi imminuere, et hac ratione organismum in magis normalem relationem cum influxibus externis, praecipue cum adhibitis corporibus medicatis ponere, in hunc scopum elegimus *acidum hydrocyanicum,* quod ab initio ut Aquam lauro-cerasi, dein vero purum secundum *Vauquelinii* methodum paratum, adhibere proposuimus. Addidimus itaque infuso Stipitum Dulcamarae, Aquae lauro-cerasi scrupulos duos.

18ta Jan. Prodromi intrantes imminentem paroxysmum praesagiebant, qui 22ta Jan. hora quinta vespertina acme assecutus est, et decursum praecedenti similem observavit.

A 18ta — 23am Jan. dosim Aquae lauro-cerasi ad scrup. duos et semis auximus.

24ta Jan. Constituimus fortius morbo reagere et acidum hydrocyanicum secundum *Vauquelinii* methodum paratum propinare, ordinantes:

Rp. Aquae comunis destillatae
uncias quatuor.
Acidi hydrocyanici sec. *Vauquelin* par.
guttam unam.
M. D. S.
Alle 2 Stunden 1 Eßlöffel voll.

repetito adhaec infuso Stipitum Dulcamarae.

25ta Jan. gtt. duas acidi hydrocyanici exhibuimus, sensim sensimque nunc dosim augentes, ita ut 26a, 27a, 28va gtt. tres, 29na gtt. quatuor 30a et 31a gtt. quinque, 1a et 2da Febr. gtt. sex ei propinarentur et aeger usque

2am Febr. triginta octo guttas acidi hydrocyanici sumsisset.

2a Febr. vehemens palpitatio cordis, dolor in scrobiculo cordis sese ad hypochondria extendens, nimia debilitas et lassitudo, praecipue autem dolor pedum hoc medicamen intermittendum esse indicabant; posteaquam autem usque 4m Febr. omnia haec symptomata evanuissent, denuo gtt. sex acidi hydrocyanici pro die ordinavimus.

5ta Febr. denuo prodromi insequentis paroxysmi adparuere; 7ma vesperi paroxysmo sese evolvente, praeteritis quoad modum aequali, quoad durationem, et intensitatem mitiori, jam 5ta hora vespertina universalis, tepidus, in coacervatis guttis adhaerens, ab aegro in nullo paroxysmorum hactenus observatus, et per integram noctem durans sudor, intravit; ast etiam circa mediam noctem vehementia omnium symptomatum insignitur remisit, brevi post aegroto placide obdormiente. Hac vice cogebatur aeger ad crises suscentandas et provehendas etiam 8va et 9a Febr. lectum custodire.

Die 8va assumtae sex gtt. acidi hydrocyanici nauseam et vomiturationes causarunt, quae symptomata post usum sequentium dosium disparuere; unice obtuso et contrahente dolore occipitis, ab ultima vice adhibitis gtt. sex acidi hydrocyanici hactenus remanente.

10. Febr. Acidi hydrocyanici gtt. septem exhibuimus attamen ob succedentem vertiginem, vomiturationes, summam delassationem, increscentem dolorem occipitis et nimiam somnolentiam, usque 13an Febr. ab usu hujus medii recessimus, interea omnibus symptomatibus cessantibus, denuo gtt. septem propinavimus.

14 — 18. Febr. Urina sedimentum copiosum vitro adhaerens deponebat. Obstructionem obtinentem Electuario lenitivo solvere conabamur.

21—22. Febr. Ager persentiebat in suprema parte sinistri foraminis narium titilationem et pruritum; mucus flavescens, spissus copiose secernebatur e naribus; conjunctiva quoque in angulis oculorum mucum copiosum intra noctem eliminabat, qui in crustas exsiccatus oculos obliterabat; cutis erat mollis et extremitates assumentes ceteris corporis partibus propriam temperaturam, frigere cessarunt. Interim acidum hydrocyanicum omni altera die dosim gtt. una augendo, propinabatur; Stipitibus Dnlcamarae quoque ad uncias duas auctis.

23. et 24. Febr. prodromi paroxysmum adparentem insinuarunt, qui quoad intensitatem et durationem ad fortiores spectabat.

Nihilominus jam 1ma Martii coarctabatur pupilla oculi sinistri, in quo photophobia etiam remisit, motu iridis alacriori existente; eodem tempore de die in diem visus roborabatur, eo in gradu ut aeger 14e Martii minora objecta in majori etiam distantia agnoscere valeret.

Dosim acidi hydrocyanici ita auximus ut aeger die 1ma Martii octodecim gtt. summeret, et dum 18va Martii vesperi acme paroxysmi intrasset, eadem die viginti quatuor gtt. obtinuisset. Perdecursum hujus temporis actionem medicaminis aeger bene tullit.

18va Martii. Paroxysmus omnibus praegressis mitior erat, universalis in guttis coacervatis adhaerens sudor, sub ejus culminatione, erupit.

22a Martii. Vertigo insignis, somnolentia, dolor in regione umbilicali cum aliquoties fluxa alvo deposita, debilitate et delassatione totius corporis, coëgerunt aegrum lectum petere; pulsus erat modice acceleratus, et cutis temperatura fere normalis. Usum acidi hydrocyanici denuo intermissimus, ordinantes contra hanc diarrhoeam rheumaticam Inf. flor. Verbasci cum ce Spiritu

Mindereri interne, Cataplasma autem emolliens ad abdomen externe.

25a Sublata Diarrhoea deseruit aegrotus lectum.

Ab hoc tempore, saepius recurrens vertigo, debilitas et delassatio aegri praecipue, cum emaciatione ut videbatur nos permoverunt, acidum hydrocyanicum haud amplius propinare eo majori cum jure, quum visus sinistri oculi jam eo in gradu rediisset ut aeger, typum minorem legere et etiam scribere posset, in eodemque oculo imminuta lucis receptivitas sese manifestaret, dextro oculo clauso, et pupilla respectu expansionis prout iris respectu motus, ad normalem reductae fuissent functionem. Ager nunc paroxysmos nonnisi amotos optavit, declarans ratione visus nil illum amplius optare. E longinquo etiam normaliter videbat aeger, et quum sub initium Aprilis me invisisset, aliquot adhuc a me remotus passibus, agnovit efigiem Napoleonis in mea acucula thoracica.

Dosim Stipitum Dulcamarae sine molestis sequelis ad uncias duas in infuso pro die anximus, et hoc infuso aeger continuo utebatur.

6ta Aprilis. Hac die acme paroxysmi, quidquam praecedente intensius decurentis, intravit; nonnisi post quatuor dies eodem in statu visus emendatus exstitit, in quo ante paroxysmum erat.

12a Apr. Praecibus aegri permoti, denuo idem medicamen; adhibuimus infuso Stipitum Dulcamarae poenes continuato; exorsi summus una gtt. acidi hydrocyanici secundum *Vauquelinii* methodum, dosim quotidie una gtt. augentes.

25a Apr. Praeterito quoad intensiatem similis paroxysmus obtinuit, celeriter tamen decurrens. Acidum hydrocyanicum ob nimiam aegri lassitudinem denuo intermissimus.

1mo Maji. Ager optavit ruri degere ut ei conceda.

mus. Cui voto eo magis cedere debuimus quo magis convicti eramus de visu sinistri oculi restituto, qui post toties perpessos paroxysmos semper pristinum recuperavit robur, nec amplius quidquam periculi timendum esse, de ejus amittenda visus normalitate, nobis videretur; dexter contra oculus, quia longo jam inde tempore, nulla status melioris symptomata offerebat, plus spei admittebat subsecuturae emendationis in illa erga mundum externum magis amoena relatione, unita cum continuato medicamentorum usu, quum adhuc impletio voti animum erigebat et pacabat.

Lubenter itaque, praeces aegroti illa sub conditione implevimus, ut in loco salubri hospitium eligat, Vindobona haud procul discedat et omni hebdomate semel bisve ad Clinicum veniat; admonentes usum Stipitum Dulcamarae quarum dosim ad drachmas novem jam auximus, in infuso porro quoque continuare.

Theses defendende.

I.

Cortex Peruvianus prorsus ita omnes febres intermittentes sanare non valet, prout, Mercurius omnem syphilim non sanat.

II.

Functio lienis in eo contistere videtur, ut ventriculo majorem sanguinis copiam reservet, et tempore digestionis ei talem tradat.

III.

Nulla datur in vita quies, illa quae apparet est nonnisi retrogressus vitae ad centrum ut expost alacrius ad peripheriam agere valeret; seu est sublatio unius vitae formae ad aliam ponendam.

IV.

Expansio et contractio iridis, fibris longitudinalibus et annularibus ea ratione, prout in sphincteribus aliorum organorum absolvitur.

V.

Datur hernia incarcerata spasmodica.

VI.

Qui inflammationem et febrim bene tractare intelligit, is armis naturae agit.

VII.

Studium veterum medicinae scriptorum, unicuique est necessarium, ad naturam intelligendam ejusque natus concipiendos.

VIII.

Simplicitas in praeseribendis formulis medicinalibus est barometrum status scientiae medicae.

IX.

Enteritis est morbus pertinax, medicum saepe fallens, magnamque proclivitatem in gangraenam abeundi habens.

X.

Acidum muriaticum chloro et hydrogenio constat.

XI.

In stadio nervoso, regulariter decurrentis Typhi, magis vires suppressae quam deficientes sunt.

XII.

Medicus forensis, homo, philosophus et practicus medicus sit oportet.